

mos se offerent id agentibus, ut quantitas actionis tota determinetur, quae per certum tempus a circulo quodam exserta est, nec scio, an praeter methodum oscillationum, mox explicandam, ulla sit, quae idem valeat praestare. Sed multo minus commoda ad hunc usum methodus oscillationum, cum continuam attentionem observatoris requirat ad numerandas oscillationes, quae per definitum temporis intervallum peraguntur, cum contra observatio voluminis gazorum, per certum tempus producti, brevi temporis momento absolvi queat. His de utilitate mensurae, ab actione chemica petitae, praemissis jam accedam ad ea exponenda, quae in ipsa hac mensura exsequenda sunt respicienda.

Ne quid gazorum ex aqua per galvanicam actionem productorum mensuram praeterlabatur, simplicissimum videtur, super duo fila parallela, ex platino, ut metallo maxime inalterabili confecta, per fundum vasis, aqua repleti, transemiccae, campanam vitream vel unam communem, vel, ad separandum gas oxygenium ab hydrogenio, duas campanas, gradibus notatas, itidem aqua repletas invertere. Communicatione dein illorum filorum cum polis columnae instituta, gas sursum tendens superiorem partem campanae vel campanarum replebit, et quantitas ejus, per certum temporis intervallum collecta, vel intervalli, ad certum gazis volumen colligendum consumti inversa ratio, mensuram praestabit totius actionis, per hoc intervallum exsertae. Huic apparatus, quo GAY LUSSACIUS, THIENARDIUS, aliique multi, nulla, quae ad rem esset, mutatione facta, uti sunt, alium substituit Bischofius, eo commendandum, quod ejus ope intervallum temporis, quo certum gazis volumen completum est, vel parum attento observatore et nulla campanae divisione adhibita, tamen accuratius definiri potest, quam illo superiore apparatu. Scilicet tubo vitreo, in siphonis formam flexo, cujus alteruter vertex clausus erat, ita duo fila ex platino confecta inserebat, ut alter per verticem clausum in cavum tubi aliquantum descenderet, alterius autem fili, partem lateralem tubi trajicientis, apex illius apici obviam porrigeretur, parva distantia inter utrumque relicta,